

scilicet cum Domino æquissimo necnon et cum omnibus in cœlo habitatoribus æternaliter coronatur; ubi nunquam potest gaudiis fraudari cui Christus est gaudium. Idcirco nos quippe, quantum divina suffragante gratia poterimus, illum totis viribus tantum imitari studeamus ut, si talia in cœlestibus præmia acquirere non poterimus, saltem aliquo in cœlo refrigerio non privemur. Habemus ergo arma justitiæ, sicut iste Dei famulus tenuit, Deum diligendo, proximumque sine simulatione amando, caritatem et pacem cum omnibus habendo (quia Christianæ perfectionis est pacificum esse cum suis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis), humilitatem et patientiam corde et opere ostendendo; quia malignus spiritus et superbus hominem primum superbientem deduxit ad mortem, Christus quoque humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Simus namque pietatis et Christianæ religionis amatores, misericordes, ad opus bonum unanimes, concordiam, quæ est custos virtutum, firmiter custodientes, sicut alibi dicit. Cavete ergo viri ne sit in vestris mentibus sententia **320** discors: quod sapimus jungat unus amor; quod vivimus et intelligimus uno eodemque constet studio. Nil firmum est dissociabile, et nil est in hominibus Deo placitum sine pace, nec munus amplissimum ad aram. Similiter etenim e contrario divinis armati suffragiis, fugiamus arma diabolica, id est, superbiam. Omnia enim vitia in malis operibus tantum valent. Sola superbia in perfectis rectisque factis cavenda est: quia sine dubio frangit Deus omnem superbum, et semper superbis resistit. Postea quoque toto nisu vel affectu cavenda est ebrietas: quæ est radix omnium mortalium ad peccandum. Iram videlicet fugiamus, quæ sæpissime stomachando in proprium cadit lethum. Luxuriam et (a) avaritiam, Deo donante, a nobis quasi venenum expellamus. Luxuria vero malesuada mellisque sapore damnat in pœnas incorrigibiles. Nil namque in moderno tempore omne henus humanum tam miserabiliter devastat quam avaritia. Odium ergo et invidiam a nostris cordibus respuamus: quia omnino non concedet Christiano ut imaginem Dei in odio habeat. Sed tamen in malis odimus prorsus malitiam, et diligimus creaturam. Discordiam quoque et fraudem divinis munificentis adjuti fugiamus. Nil nam-

(a) *Avaritia*. Pecuniæ nimirum, ut manifestum est. Quanquam et nonnulli vetusti scriptores, dum rhetoricantur, avaritiam alio quoque transferunt, ad gloriam videlicet et ad libidinem. Q. Curtius lib. ix: « Rursus avaritia gloriæ et insatiabilis cupido famæ nihil invium, nihil remotum videri sinebat. » Ba-

A potest boni esse ubi fraus et discordia regnant. Pudet autem de his longius disputare. Omittamus malas, Domino adjuvante, sirenas, quæ hominum mentes assuefaciunt morbo, non liberant. Teneamus etiam illas virtutes in quibus est sola sanitas et æterna felicitas. Ideoque, dilectissimi fratres, scitote quia in maxima egestate sunt divites in hoc mundo, justitiæ et veritatis opes non habentes. **321** Qui autem altithrono Domino fideliter serviunt, ea bona inveniunt quæ nullatenus perire possunt. Parva enim sunt præsentis sæculi bona. Nunquam vero nisi per negligentiam et incuriam perdit æterna. Quamobrem de triumphali Christi signo signati estis, et Domino opitulante vultis ancipitem superare vitam, in qua nihil est aliud nisi seductiones et infestationes, diligente semper moribus et operibus quod verus amator Christus jam habet. Fervent enim mundi amatores pro damnis proque pestiferis lucris. Idcirco namque, quia mundus amaritudine et casu totus est plenus, et fluunt gaudia falsa appropinquante Deo bonis et operibus, et appropinquabit vobis. Quærite illum, non fecte, sed veraciter, et invenietis illum. Nullus obsecro dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæsitet, nec de piæ petitionis effectu: quia quanto fiducialius et benignius Deum deprecamur, tanto citius exaudiri merebimur. Fides enim omnibus bonis abundat, sicut in Evangelio ipse Salvator ait (*Matth. vii*). Omnis enim qui cum fide petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Et iterum: *Omni habenti dabitur, et abundabit. Ei autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Matth. xiii*). Habemus igitur multa in divinis paginulis exempla patrum nostrorum. Habemus etiam ante oculos exempla certissima, sicut hujus sancti viri, cujus hodie festivum celebramus diem: qui patriam cognationemque et amicos sæculares fervente fide pro amore Dei dereliquit, terrena contempsit cum pompaticis laudibus, ut cœlestia conquireret. Despiciamus quoque, Domino suffragante, mundum, et amemus **322** cum præceptis ejus Creatorem nostrum; quatenus per præsentia bona quæ agimus ad gaudiæ æternæ felicitatis pervenire valeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui patria virtute trinus et unus vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

D chiarius in epistola ad Januarium de recipiendis lapsis: « Non enim potestis solam in pecunia avaritiam computare: quia maxime avaritia vel in libidine esse sentitur, cui nunquam finis imponitur. » Sic Horatius in libro de Arte poetica, versu 329, dixerat: *Laudis avarus*.

## HYMNI

### DE SOLEMNITATE SANCTI WIGBERTI.

#### I.

Wigberti dies natalis  
Venit modo mirabilis,

Lucem jam nos illuminans,  
Quos servet Christus glomerans.  
Iste confessor Domini,

Frater in mente humilis,  
Quem Christus jam prædixerat,  
Ut regnum ejus capiat.

Hujus oratu credimus  
Ad castra cuncti pergimus,  
Si cultum ejus agimus  
Qui sedet super angelos,  
Qui sedet super cherubin,  
Simulque super seraphim,  
Sideraque agmina  
Regit sua potentia.

Ipsaque nos tartareo  
Eripiat a tormento,  
Zabuli et a laqueo  
Defendat suo labro.

**323** Sancte Wigberte, quæsumus,  
Ora pro nobis omnibus,  
Ut lavet nos crimibus  
Rex angelorum Dominus.

O Pastor alme, pro clero  
Interveni jam devoto.  
Digna tua oracula  
Tollunt nostra piacula.

Salvator noster, relaxa  
Et dele nostra crimina  
Per confessoris inclyta  
Sancti Wigberti merita.

II.

En piis splendent revoluta votis.

A

Annua nobis veneranda cultu,  
Festa Wigberti. Populo frequenti  
Christe faveto,

Hic velut clara rutilans lucerna,  
Indolis primæ radios micantes  
Sparsit in mundo, gradiendo callis  
Ardua dextri.

Utique nil sacri meriti deesset,  
Subdidit summæ piæ jussioni  
Colla, quo Christi crucis et minister  
Pauper adesset.

Ipsa quem tantum Deitas beavit,  
Quo foret seculo sibi commoranti  
Forma, sic æque via lapsitanti  
Posteritati.

B

**324** Cujus exemplum glomeret in unum  
Turbam haud parvam sibi servientum  
Semper ut Christi resonet fideli  
Pectore laudes.

Quam Deus cunctis redimet ærumnis,  
Cum potens dextram quatitur coruscam.  
Ultimi donans requiem laboris  
Visere sese.

Patris hoc proles, Pater hoc et ipse  
Præstet, hoc flatus per utriusque sanctus;  
Unicum nomen Deitatis omni  
Est quibus ævo.

ANNO DOMINI DCCCLXVI.

# RODULFUS

BITURICENSIS EPISCOPUS

## NOTITIA HISTORICA IN RODULFUM

(Ex Gallia Christiana, tom. III.)

RODULFUS nobili et antiqua stirpe ortus erat, nimirum Rodulfo Cadurcorum comite, et Aiga, paris cum nobilitatis tum pietatis parentibus, (a) a quibus primum ad clericatum instituendus traditur Bertranno viro religioso, assignata in titulum patrimonii villa quadam *extra consortium fratrum*; quemadmodum Emenanæ, Rodulfi sorori, ad sanctimonialium habitum tradendæ, quamdam cedunt ecclesiam nobiles parentes. Per clericatum potest hic intelligi monachatus, qui non raro in antiquis scriptoribus per clericatum designatur; maxime cum videamus Rodulfum abbatem ante episcopatum fuisse. Nec obstat titulus

(a) Ex Mabill. sæc. IV Bened. parte II, pag. 156. Hi fuerunt filii Rodulfi Comitis et Aigæ: Rodolphus clericus (ipse est archiepiscopus noster), Godefridus comes, Rotbertus, Landricus; Emenana filia eorum fuit abbatissa S. Generii, apud Sarrasiacum. De Johanne

C ei datus, seu villa loco tituli clericatus velut assignata: nam id solebat fieri etiam pro monachis, uti probat charta Rotardi cujusdam in tabulario Belliloci, apud Lemovices, unde erutum instrumentum de villa patrimonii loco data Rodulfo: nam Rotardus ibidem concedit Rodulfo abbati Bellilocensi (is erat noster Radulfus), et monasterio Bellilocensi, *pro clericatu cujusdam consanguinei sub nomine Gumberti*, ut idem Gumbertus hæc teneat, *usque dum abbas et monachi supradicti loci, aut ecclesia alium ei honorem concedat, ut secundum clericatus sui officium vivere possit.* Eodem itaque modo, quando Rodulfus noster ado-

qui fuerat Abbas Bellilocensis altum est silentium. Infra tamen Johannis hujus fiet mentio. Roberti conjux Retrudis sepulta est in monasterio Bellilocensi. De iis plurima habes in historiæ Tutelensis appendice.